

INSTITUTIONES
JURIS PRIVATI ECCLESIASTICI.

LIBER PRIMUS.

DE PERSONIS.

CAPUT I.

DE STATU PERSONARUM.

§ 1.

DE JURE PERSONARUM.

Tres sunt Personarum status qui Ecclesiae corpus constituunt, nempe Clerici, Laici et Cathecumeni : Clerici qui divino cultui et Ecclesiae ministerio ab Episcopo ordinati sunt : Laici qui nulli peculiari Ecclesiastico ordini vel muneri addicti sunt : hinc dicuntur etiam *sacculares*, quippe qui negotiis saecularibus vacant. Clerici vero a Laicis ratione ordinis et potestatis distincti sunt, et quidem jure divino, quod ex Sacris litteris, ex Catholicae Ecclesiae doctrina, et constanti Sacrorum Canonum traditione comprobatur. In Laicorum numero ponendi sunt etiam Supremi Principes, eo quod Jura Majestatica nullam eis in administratione Ecclesiae potestatem tribuunt; sunt tamen Sacrorum Canonum Vindices et Defensores, eorumque auxilium auctoritatemque saepius implorarunt Sanctissimi Ecclesiae Praesules, quotiescumque res fuit de tuenda Reli-

gione et fide Catholica, seu cum actum est de publico scandalo propulsando, ne populi mores palam inficerentur: ipsique Tridentinae Synodi Patres saluberrimo illo opere ad finem properante non dubitarunt monere Principes « ad operam suam ita praestandam, ut quae ab ea decreta sunt, ab haereticis depravari aut violari non permittant, sed ab his et omnibus devote recipiantur et fideliter observentur. »

Tandem Catechumeni, quasi candidati Christianae Religionis, quos Ecclesia fidei Christianae elementa docet, atque ad Baptismi gratiam recipiendam instituit, aliquo pacto ad Ecclesiam pertinere videntur, sive, ut ait Augustinus Tract. XI in Joan., « nondum filii essent, pertinent tamen ad Ecclesiam » et salutem aeternam assequuntur, si mortem obeant antequam baptizentur.

De Monachis et Regularibus quaeritur utrum Clerici, an Laici habendi sint? Si primaevam eorum originem et institutionem consideres, profecto inter Laicos adnumerabis; postquam vero ad Sacros Ordines, quibus antea non initiabantur, aditus eisdem patuit, in posterum inter Clericos relati sunt: quapropter etiam Regulares Clerici nominantur. Laici vero professi, qui nempe remoti a quocumque Ordine vota tantum nuncupant, revera laici habendi sunt, gaudent tamen, quemadmodum Moniales, privilegiis Clericalibus praesertim fori et Canonis Cap. NON DUBIUM 5. de Sent. excom.

§ 2.

DE DIVERSIS CLERICORUM ORDINIBUS.

Septem sunt Clericorum Ordines, de quibus priusquam dicamus, pauca de tonsura clericali praeponenda sunt. Est autem tonsura exterior quidam ritus seu caeremonia Ecclesiastica qua Laicus per tonsionem capillorum in vertice capitis, et per vestis clericalis traditionem divino cultui mancipatur:

et tonsura prima est ad Ordines praeparatio. Concilium Trid. sess. 23 cap. 4 de Reform. sic statuit « Prima tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, et fidei rudimenta edocti non fuerint; quique legere et scribere nesciant, et de quibus probabilis conjectura non sit, eos non saecularis iudicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum praesent, hoc vitae genus elegisse. » Tonsura clericalis non est ordo, quia nulla spiritualis potestas tonsurato confertur; adde auctoritatem Concilii Trident. sess. 18 cap 6 ubi tonsuram diserte videtur ab ordinum albo expungere, dum eam ab ordinibus distinguit, ait enim « nullus prima tonsura initiat, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus » etc.: et Catechismus Romanus parte 2. cap 7. « Tonsuram quamdam ad ordines suscipiendos dispositionem » appellat. Et Sacra Congregatio Concilii apud Fagnanum in Cap. CUM CONTINGAT de aetate et qualit. et ord. praeficiend. declaravit Episcopum Hieracensem ob primam tonsuram extraneo collatam suspensioni non esse subjiendum, quoniam « tonsura a Concilio non habetur pro ordine. » Tonsuratus autem fit capax Ecclesiasticae Jurisdictionis et gaudet privilegiis Canonis et Fori, si vestes Clericales deferat, eaque servet quae de vita et honestate Clericorum sancita sunt, de quibus alio loco dicendum erit.

His praepositis septem Ordines Ecclesiastici in majores, et minores distribuuntur. Minores sunt quatuor, Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, et Acolytatus: ordinum autem tum minorum, tum majorum natura in eo posita est, ut potestatem aliquam spiritualem conferat, ac proinde distincti sunt sacrorum Ordinum ritus pro distincta potestate quam conferunt. Ostiariis itaque potestas datur templorum januas custodiendi, ab iisque excommunicatos et infideles arcendi, scilicet tempore Sacrificii, non vero Concionis vel lectionis Sacrae Scripturae. Hac de causa Ostiarii, cum ordine initiantur, claves ab Episcopo accipiunt.

Lectorum potestas est Sacras Scripturas in Ecclesia reci-

tandi, aequae ac explicandi, et idcirco in eorum ordinatione Sacra Biblia iisdem ab Episcopo traditur.

Exorcistis potestas tribuitur invocandi nomen Domini super eos qui ab immundis spiritibus vexantur; quare Exorcistae exorcismorum librum in sua ordinatione accipiunt. Hodie tamen ad malos spiritus adjurandos soli Sacerdotes ab Episcopo adhibentur, iique prudentes atque docti, neque sine licentia Episcopi agere quidquam possunt.

Acolytis potestas conceditur Ceroferarium ferendi, cereos ad Sacrificium Missae accendendi, vinumque et aquam in urceolis parandi, eosque ad Eucharistiam Subdiacono ministrandi. Quapropter eisdem cum initiantur ceroferarium cum cereo et urceoli vacui traduntur.

A minoribus ad majores Ordines transeamus. Sunt autem Subdiaconatus, Diaconatus et Presbyteratus. Subdiaconi qui diu inter minores Ordines numerabantur, ineunte saeculo XII, aut non multo secus majoribus Ordinibus adscripti sunt, eisque lex continentiae imposita. Eorum officia ita describuntur a Pontificali Romano « Subdiaconum oportet aquam ad ministerium altaris praeparare, Diacono ministrare, pallas altaris et corporalia abluere, calicem et patenam in usum Sacrificii eidem offerre. »

Diaconi ex potestate a Christo accepta ab Apostolis instituti sunt non solum ut mensis, sed etiam ut altari ministrarent: eorum munera sic explicat Pontificale Romanum « Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare et praedicare, » Diaconos itaque oportet Episcopo, vel Sacerdoti sacra facientibus ad aram proxime inservire seu ministrare, atque in solempni Missa Evangelium canere. Olim Diaconi Eucharistiam populo passim tribuebant; nunc vero ex Concilio Arelatensi I « Diaconus corpus Christi praesente Presbytero tradere non praesumat. » Et ex Carthaginensi IV « Praesente Presbytero Diaconus Eucharistiam populo, si necessitas cogat, jussus eroget. » Idem tenendum de baptismo, quem Diaconus solempniter mini-

strare nequit sine Episcopi vel Parochi delegatione, quae quidem facultas tribuenda non est nisi necessitas postulet. Quod autem ad praedicationem spectat, Diaconus debet Concionis habendae facultatem ab Episcopo impetrare.

Tandem Sacerdotum munera Pontificale Romanum describit his verbis « Sacerdotem oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare et baptizare. » Itaque Sacerdotes per sacram Ordinationem apti et idonei fiunt ad omnia Sacramenta, si Confirmationem et Ordinem excipias, conficienda et administranda: verumtamen in iis in quibus exercendis assignatio Subditorum necessaria est, actus ordinis sine hujusmodi assignatione seu jurisdictione non modo illiciti, sed etiam nulli atque irriti omnino sunt, quod proximo capite explicabimus. Quod vero ad benedictiones spectat, Sacerdotes aquam, agros, novos fructus et alia hujusmodi, ritu christiano lustrant, sed in his ritus et consuetudines Ecclesiarum servandae sunt, quatenus quaedam benedictiones Episcopis vel Presbyteris ab eo delegatis reservantur, quaedam Parochis, quaedam tandem aliis Presbyteris permittuntur; illud vero certum est benedictiones solemnes et majores, ubi praesertim sacra unctio adhibetur, ad solos Episcopos pertinere. Ad reliqua vero Sacerdotum munera rite obeunda, si Presbyter commissam sibi alicujus populi curam non habeat, dubitandum non est, quin Episcopi venia atque auctoritate indigeat.

§ 3.

DE SACRA HIERARCHIA.

Sacra Hierarchia est coetus personarum ecclesiasticarum, quibus potestas est vel divina Religionis mysteria celebrandi, vel Ecclesiam regendi et administrandi. Qui sacris mysteriis dant operam, ut fidelis populus spiritualibus bonis perfruatur, ad Hierarchiam ordinis; qui optimo Ecclesiae regimini prae-

sunt ut omnia bene consistant, ad Hierarchiam jurisdictionis pertinent. Utraque vero Hierarchia ad cultum Dei, aeternamque salutem animarum divinitus instituta est. Praeclare S. Thomas 2^a 2^{ae} Quaest. 39 art. 3 in corp. « Duplex est spiritualis potestas, una quidem sacramentalis, alia jurisdictionalis: sacramentalis quidem potestas secundum suam essentiam remanet in homine, qui per consecrationem eam est adeptus quamdiu vivit, sive in schisma, sive in haeresim labatur..... Tamen haeretici et schismatici usum potestatis amittunt, ita scilicet quod non liceat eis sua potestate uti: si tamen usi fuerint, eorum potestas effectum habet in Sacramentalibus... Potestas autem jurisdictionis est, quae ex simplici injunctione hominis confertur. Et talis potestas non immobiliter adhaeret. Unde in schismaticis et haeticis non manet: unde non possunt nec absolvere, nec excommunicare, nec indulgentias facere, aut aliquid hujusmodi; quod si fecerint, nihil est actum. »

Ex quo mire intelligitur, quae sint natura atque proprietates utriusque Hierarchiae. In primis de Ordinis Hierarchia a Tridentina Synodo definitum est sess. 23 cap. 6. « Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam quae constat ex Episcopis et Presbyteris et Ministris, anathema sit. » Igitur in Hierarchia Ordinis sunt Episcopi, Presbyteri et Ministri. Episcopi omnes rite consecrati sunt pares inter se quod ad Ordinis potestatem attinet, ita ut nec Metropolitae, neque Patriarchae, neque ipse S. Pontifex aliquid plus possint, quam caeteri Episcopi, nam singulorum unus et idem est ordo, atque una eademque potestas, ac proinde in iis quae ordinis sunt, in Episcopatu inest plenitudo potestatis quae a Deo ipso per sese *immediate*, ut aiunt, in ordinatione tribuitur.

Praeterea Ordinis potestas neque moderari, neque auferri, neque deleri ulla ratione potest, neque per quodcumque flagitium amittitur. Quapropter ordinationes ab Episcopis intrusis, haeticis, schismaticis, excommunicatis, degradatis, aut

simoniacis peractae, dummodo quae ad earum validitatem necessaria sunt, scilicet materia, forma et intentio faciendi quod facit Ecclesia, rite servata fuerint, illicitae quidem et sacrilegae sunt, sed ratae, firmae et validae habentur. Denique potestas Ordinis aequae ac character qui in ordinatione imprimitur, indelebilis perseverat, neque delegari unquam potest. Ex quibus perspicuum est: 1. Potestatem ordinis divinae institutionis esse. 2. In quolibet Ministro perpetuo manere. 3. Eandem delegari non posse.

Potestas Jurisdictiones definiri solet « legitima assignatio subditorum » sive ut aliis placet « deputatio legitima juris dicendi vel imperandi. » In hac hierarchia assignatio subditorum fit a jure, vel ab homine; a jure quidem vel divino, vel ecclesiastico. Jure divino duo sunt in Ecclesia gradus jurisdictionis, Pontificatus Maximus, et Episcopatus; jure vero ecclesiastico sunt reliqua munera ecclesiastica quibus jurisdictio in foro externo adnexa est: assignatio autem Subditorum fit ab homine, quum aliquis jurisdictionem propriam alteri delegat.

Itaque supremum gradum obtinet S. Pontifex, cui primatus potestatis et jurisdictionis supra universam Ecclesiam a Christo Domino traditus fuit. In qua quidem potestate ut aliquis ordo significaretur, primo soli Petro data est ut ostendatur quod ab eo in alios debet ista potestas descendere. Sanctus Optatus Millevitanus Lib. VII contra Parmen. de Petro ait « eum claves regni coelorum communicandas caeteris solum accepisse. » Itaque in Concilio Tridentino magna animorum contentione exagitata quaestio est, an Episcopi hanc jurisdictionis potestatem *immediate* a Christo, an potius a S. Pontifice accipiant. Quaestione hac in medio relicta, de qua in Jure publ. § 55, in id unum consentiunt omnes, ejus usum et exercitium a Romano Pontifice pendere, qui justis de causis poterit ex toto, vel ex parte auferre, cum Ei cura et sollicitudo omnium Ecclesiarum concredita sit.

Ut vero illuc quo discessimus revertamur, confertur haec

potestas per assignationem Subditorum, vel legitimam deputationem ad exercendum munus spirituale, sine qua actus jurisdictionis in foro sive interno, sive externo nulli sunt. Quae de re Tridentina Synodus Can. VII sess. 23 definivit. « Si quis dixerit eos qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, legitimos esse verbi et Sacramentorum Ministros, anathema sit. » Duo itaque requiruntur, et ordo, et legitima missio, quorum primum per sacram Ordinationem, alterum per legitimam subditorum assignationem obtinetur. Quod vero ad forum internum pertinet, eadem Synodus sess. 24 cap. 7 decrevit. « Quoniam igitur natura et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem. »

Itaque ad aliquos actus Ordinis potestas Jurisdictionis necessaria est: de reliquo non ita jurisdictio cohaeret potestati Ordinis ut ab ea sejungi non possit. Vicarius generalis qui Episcopi vicem gerit in administranda Dioecesi, potestatem Jurisdictionis tenet, non autem Ordinis: contra vero Episcopus titularis, qui dicitur etiam Episcopus in partibus infidelium, cum in consecratione characterem Episcopalem receperit, potestatem Ordinis habet, potestate vero Jurisdictionis, cum nulli sibi subditi sint, omnino privatur.

Post S. Pontificem et Episcopos sunt varii in Ecclesia jurisdictionis gradus, veluti Patriarcharum, Metropolitanorum, etc., qui ex ecclesiastica institutione orti sunt « unde » ut ait S. Leo M. in Ep^a ad Athanasium Thessalon. Episcopum « est orta distinctio, et magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, et rursus quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliores, per quos ad unam Petri sedem universae Ecclesiae

cura conflueret, et nihil usquam a suo Capite dissideret. »

Quamobrem ordinis et jurisdictionis longe dispar est ratio, cum qui plures provincias tenet, plus jurisdictionis habeat, quam qui uni Provinciae vel Dioecesi praest; ordo autem unus semper idemque in omnibus perseverat. Denique jurisdictionis potestas alteri delegari potest: delegatur autem, cum quis alteri officium committit, ut illud sua vice et auctoritate exerceat.

Ex quibus omnibus colligitur, potestatem jurisdictionis 1. non per sacrum aliquem ritum, sed per simplicem juris aut hominis injunctionem acquiri: 2. interdum potestati ordinis jungi, copularique, saepius vero alteram ab altera omnino sejungi: 3. eandem variam esse, hoc est majorem, vel minorem pro varia Subditorum assignatione: 4. delegabilem esse: et 5. denique non perpetuo inhaerere, sed justis de causis tum moderari atque etiam adimi, tum ex quibusdam criminibus amitti posse.

CAPUT II.

DE EPISCOPIS.

§ 4.

DE POTESTATE EPISCOPORUM.

Cum de Conciliis generalibus in Jure Ecclesiastico publico ageremus, dictum est Episcopos ad eadem Concilia jure divino vocandos esse, ut in quaestionibus fidei, morum, atque disciplinae suffragium ferant, propositasque quaestiones definiant; et quamvis iudicium Episcoporum non adeo exploratae auctoritatis sit, ut errori obnoxium esse nequeat, nisi Summus Pontifex accedat, et quae definita sunt auctoritate sua confirmet, Episcopi tamen in Conciliis generalibus non Consilarii,